

Præter prius & posterius sunt relatiua, ergo in relatiuis datur prius, & posterius, ergo in diuina Trinitate. Probo primam consequentiã. Nam q̄ sunt in aliquo genere participant naturam illius generis: si homo est in genere quantitatis participat naturam illam longi. lati. & profundi. ergo.

Concludamus igitur cum Doctore, quòd detur ordo originis in diuinis, & per consequens prius, & posterius.

Contra hanc positionem oriuntur multæ difficultates probantes, quòd nullo modo datur prius, & posterius.

Guido Carmelita.

1. Est Athanasij, & Ecclesiæ quæ dicit. In hac Trinitate nihil prius, aut posterius, ergo falsa.

2. Guido arguit sic, qui concedit bene ordinem originis, sed non potest videre quomodo sit prius, & posterius, & arguit sic.

Quod repugnat naturæ relatiuorum non est ponendum in illis. Sed sic est quod prius, & posterius repugnat relatiuis, ergo non est ponendum inter patrem, & filium in diuinis quæ sunt relatiua.

Probo minorem. Quæ sunt simul natura, & intellectu, non habent prius, nec posterius. Relatiua huius, ergo.

3. Inquit Guido Quod conuenit alicui in quantum tale conuenit omni tali. Sed esse simul natura, & intellectu conuenit relatiuis, ergo conuenit omni speciei, ergo licet sit ibi ordo originis tamen relatiua erunt simul, ergo negatur prius, & posterius.

D. Phy. 12. diuini. 2. com. 10. & 8. phys. 2. co. 10. Prius & posterius non possunt esse, si tempus non sit ergo. 2. com. 144.

4. Probo quod sint simul intellectu. Formalis ratio relatiuorum est habitudo ad aliud, sed impossibile est quod intelligam aliquid in habitudo ad aliud, & illud non intelligam, ergo erunt simul natura.

Probo minorem. Quia habitudo importat collationem multorum adinuicem, vt desumitur ex Aristot. 2. de Anima. Ideo inquit Doctor licet fundamentaliter possim cognoscere vnum relatiuum sine alio, tamen relatiuum vt relatiuum non potest esse sine alio relatiuo.

5. Præterea dicit. Si pater est prior filio. Aut est prior vt non pater. Aut ~ pater. Non est dicendum quòd.

Sit prior vt non pater, quia esset sine paternitate pater quòd est absurdum.

Non est etiam dicendum quòd sit prior vt pater, quia tunc in illo priori esset pater sine filio quod est falsissimum. Nam impossibile est quod sit pater in aliquo signo in quo non sit filius, ergo nullo modo assignabitur prius, & posterius.

Ideo dicebat Aug. 5. de Trini. cap. 5. Hoc est patrem esse, quod filium habere.

Sic Damascen. lib. 1. cap. 8. Pater sine filio nequaquam vocabitur, ergo non datur prius, & posterius.

Prius & posterius sunt in magnitudine, ergo in motu, ergo in tempore, quia motus est mensura, motus est cundum prius, & posterius. 4. Phys. cap. 99.

Prius & posterius sunt accidentia temporis sicut par, & in par, in numero. Themi. 115. tex.

A D H A E C S I C

Respondere oportet breuibus, more solito.

Auer. 2. Celi.

Ad 1. Athanasij non datur prius, nec posterius. Resp. Verum est de priori durationis, & in quo. Tamen datur prius originis, & à quo, & sic remanet conclusio. Nam non datur prius in quo quia sunt consubstantialia personæ, & æternæ: Tamen prius à quo non negatur, quia dicitur filius à patre, & Spiritus Sanctus ab utroque. Resp. etiam Auer. 2. celi com. 104. & 1. celi. 105. & 106. com. & de substantia orbis cap. 2. d. Prioritas naturæ eodem modo reperitur in æternis sicut in generabilibus, præterquam, quod in generabilibus, quæ sunt priora naturaliter reperitur tempus, in æternis non datur tempus.

Ad 2. Repugnat naturæ relatiuum prius, & posterius. Resp. repugnantia dupliciter consideratur prioris, & posterioris.

Primo modo vt relatiua dicunt esse suppositale, & existentia, & sic est necessaria habitudo, & vnum non potest capi sine alio, & sic negatur esse prius, & posterius.

Secundo modo vt relatiua dicunt principium, & principiatum, producents, & productum, generans, & genitum, & hoc modo arguunt ordinem originis, & per consequens prius, & posterius. Secunda Responsio soluunt omnes difficultates.

RELATIUA DVPLICITER

Possunt considerari.

Primo modo formaliter. } Formaliter relatiua, certum est quod nullum recipiunt prius, & posterius.

Secundo modo fundamentaliter. } Fundamentaliter vero scilicet in potentia actiua patris in illa generatiuitate qua dicitur producents, nullum est quod præcedit productum, & per consequens datur prius, & posterius, & hoc modo pater est prior, & non prior filio. Hæc volui dicere in præsentia lectione. In sequenti Magister tractabit. An pater potest, vel voluerit generare filium. Habui.